



Q. D. B. V.

COLLEGII SYNOPTICI

IN

PARTEM GENERALEM PHYSICÆ
DISPUTATIO QUINTA,

De Formâ.

Quam

IN ILLUSTRACADEMIA WITTENBERGENSI,
A. D. XXX. OCTOBRIS, A. C. MDCL.

Disquisitioni sistunt publicæ

PRÆSES

M. SAMUEL POMARIUS,

COLLEGII PHILOSOPHICI ADJUNCTUS,

ET RESPONDENS

ANDREAS GIRSNERUS Vratislaviensis.

In Auditorio minori Horis Matut.

Typis MICHAELIS Wende.

Handwritten text on aged, stained paper, likely a title page or index. The text is faint and mostly illegible due to fading and water damage. Discernible words include "INDEX" and "MARITIMUS".

Handwritten signature or initials in the bottom left corner.



Ad Eximium DN. RESPONDENTEM.

Difficilem versas, GIRSNERE industrie, cau-
sam,
Dum tibi Naturam, speciesq; obitusq; supremos
Formarum versare sedet, latebrasq; profundas
Eruere istarum dextro conamine rerum.
Perge deinde, DEO benè fortunante! nec unquam
Poeniteat calamo hoc doctum trivisse labellum.

PRÆSES.

Brich was des Himmels Schloß / die vngezehnten Zahlen
so Tag vnd Nacht es mahlen /
Lufft / Feuer / Erd vnd Meer / Erz / Steine / derer Strahlen
mit ihrem Glanze prahlen /
Die Bäume / Laub vnd Gras / der Erd in Sommerszeit
ihr bundgestickt. es Kleid /
Die Thier / vnd dann der Mensch / so jenen allen weit
geht für an Treffigkeit /
Sein dieses was sie seyn / das sol die Schrifft hier lehren /
das wird von dir man hören /
Herr Girschner / werther Freund / wañ du mit Ruhm vnd
Ehren /
die fore bey dir sich mehren /
Eie wohl behaupten wirst. So recht. So brich herfür.
So zeige die Begier /
Die zu der Wissenschaft sich hegt vnd regt in dir /
Seu embsig nach gebühr.
Der ist kein Krieges-man / der andre nur von schlagen
hat hören Wunder sagen :
Wilers mit Warheit seyn / so läßt ers drauff zu wagen
Ihm auch einmahl behagen ;
Wohl!

Wohl! daß du dis erwiegst/vnd hasset faule Ruh!
Dann was erfagestu?
Dein Breslau fördert dich hierumb viel eher nu.
Drumb ruff ich dir glück zu!

M. Carl Ortlob/von der Delsz auß Schlesien
der D. Schrift beslüssener.

Du thust gar recht vnd wol daran/
Herr Girschner/daß du deine Jugend
Ergiebst der Wissenschaft vnd Tugend/
Die künfftig dich erheben kan.

Tritt ihund nur getrost herfür/
Las öffentlich dich einmahl hören.
Dis führet dich zu grossen Ehren
Vnd zu der blauen Mütze Stern.

Zumahl weil dis wird vorgebracht
Von deinen Kunstzosen Sinnen/
Was andre nicht ergründen können/
Vnd vor vnmöglich Ding eracht.

Du aber bist mit saurem Schweis/
Mit ganzer Macht hindurch gedrungen.
Drumb ist es dir auch wol gelungen.
Wer Weisheit liebet/liebt den Fleis.

Wenn einer Ehren erndten wil/
So mus er in den jungen Jahren
Ganz keiner Müß' vnd Arbeit spaaren/
Schweis halten vor ein Kinder spiel.

ELIAS MAJOR.

IN NOMINE DOMINI JESU!

COLLEGII SYNOPTICI IN PAR-
TEM GENERALEM PHYSICÆ

DISPUTATIO V.

De Formâ.

RESPOND.

ANDREA GIRSNERO Vratislaviensi.

POSITIO I.

Forma est causa interna, per quam Corpus na-
turale constituitur.

Expositio.

§. 1. **C**Hara Formarum doctrina est, sed & rara, ut solent καλὰ
εἶναι καὶ δύσκολα. Laborat hinc majorem in modum hu-
manus animus, nec nisi confusam Formarum cognitionem para-
re & parere sibi potest, distinctam neutiquam. A posteriori eas no-
vimus, haut à priori. Operationes & affectiones quasdam earum
conspicimus, essentiam & naturam investigare nequimus. Ut verè
huc Scaligeri illud trahere possimus *Exerc. CCCVII. 21. Ciconia ad-
instar à vulpe elusa vitreum vas lambimus, pulcem non attingimus, &
Sect. 12. Nomina tu lapidis, qui quotidie tuis oculis obversatur, formam,
& Phyllida solus habeto.* Describimus tamen, ut quimus, quando ut
volumus non licet. Per Descriptum non intelligimus Formam Ac-
cidentalem; qualis artificialis est, mensæ, scamni, aut naturalis eti-
am externa & in oculos incurrens, aliàs Figura dicta, determinatio
nempe quantitatis in corpore naturali: sed Essentialem. Non eam
tamen Metaphysicam, quæ dicitur Forma Totius, est que ipsius rei
quidditas & essentia tota; neq; Logicam, quæ est differentia rei
specificæ: sed Physicam, quæ dicitur Forma Partis & informans, al-
tera nempe pars Corporis Naturalis constitutiva, qualitarum & a-
ctionum omnium fons ac radix.

§. 2. In Descriptione Generis loco stat Causa interna. Causa
est, quia influxum verum & realem præstat ad productionem com-
positi.

E

positi.

positi. Interna est, quia extra compositum non manet, sed essentiam ejus ingreditur. Differentiam præbet modo causandi, qui per Particulam characteristicam Per insinuat, quæ propriam Formæ causalitatem denotat. Per Formam enim Corpus est id, quod est. Materia etsi etiam intra essentiam ejus sit, tamen non absolvit eam, sed saltem inchoat: per Formam autem species ultimò completur ac perficitur. Efficiens dat esse rei effectivè, Finis motivè, Materia subjectivè, Forma formaliter & terminativè. Et sic omnes Causæ nostræ influxum verum ac realem in corpus naturale obtinent. Id quod de suis Principiis Peripatetici affirmare hautquaquam possunt. De Formis enim putant, eas non esse, non fieri. Conimbricenses dicunt: *Nulla principia sive contraria sint, sive non, modò abstractè sumantur, ex aliis fieri dicenda sunt, cum ne fiant quidem; sed sola singularia per se existentia, atq; adeò sola concreta.* Et Ruvio: *Secundum proprietatem Physicam forma nec generatur, nec fit, sed compositum.* De Privatione Complutenses docent, eam in instanti generationis desinere. Conimbricenses ajunt, non repugnare in eodem instanti temporis secundum aliam & aliam considerationem dari in materiâ & privationem formæ & ipsam formam, licet talis privatio in eodem instanti reipsâ ac simpliciter aboleatur. Idem asserunt, quod Privatio neq; in re genitâ maneat, neq; ullum Entis gradum obtineat. Mendoza dicit, eam esse principium generationis eodem instanti, quo primùm est generatio, & tamen tunc non existere. *Quod non est, inquit, quod nihil est, etiam principium est, quod per desitionem sui causat.* Materiæ primæ omnem etiam actum Entitativum Zabarella & Conimbricenses denegant. Hæc scilicet egregia illa Principia sunt, quæ nullum Entis gradum obtinent, quæ ne sunt aut fiunt quidem, quæ extra nihilum non ponuntur! è quibus tamen deinde totus mundus & universa de mundo scientia conflari & constare debet.

POSITIO II.

Estq; vel Generica, vel Specifica.

Expositio.

§. I. Ditissimum Formarum Thesaurum ac inexhaustam abyssum Natura gremio fovet. Ut verè huc Senecæ illa quadrent *L. VII.*

Natt.

*Natt. qq. c. 3. Non semel quaedam sacra traduntur. Eleusis servat, quod of-
 tendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non simul tradit. Illa arcana
 non promiscue, nec omnibus patent, reducta & in interiore sacrario clausa
 sunt. Generales tamen earum Classes duas fecimus; quarum prio-
 rem illæ occupant, quæ materiæ adhuc indolem induunt & ab aliâ
 superiore informantur ac reguntur; posteriorem eâ, quæ speciem
 constituunt, & specificarum affectionum ac effectuum causæ
 sunt. Sub Genericâ Formâ comprehendimus tum Subordinatam,
 tum Accidentariâ. Nam quod ad Animam Vegetativâ in Plantis,
 & Sensitivam in Brutis attinet, ea Logica potius consideratio est,
 quàm Physica. Tantum conceptus aliquis communis à singulis
 plantis & brutis mente abstrahitur, res autem ipsa in Naturâ for-
 maliter non datur. Forma Subordinata est, quæ lege Naturæ Spe-
 cificæ Formæ ad tempus aliquod subest, donec excusso illius jugo
 servitio exit, & ipsa Specifica evadit. Formæ nomen obtinet ratione
 materiæ suæ propriæ, in quâ est, materiæ autem ratione Formæ
 specificæ. Sic Formæ Elementorum misti corporis Formæ Specificæ
 subordinatæ sunt, & quàm diu illæ Misti insunt, tam diu ad mate-
 riam misti spectant, proprio formarum officio destitutæ. Id quod
 Zabarella ipse agnoscit, cum *Lib. 6 de Gen. & Int. cap. 4. p. 407.* sic
 scribit: *Quemadmodum si mortuo Rege servus aliquis fiat Rex, is eme-
 prius etiam Rege vivente, at non erit ut Rex, idè si querat quispiam an sit
 creatus novus Rex, necnè, dicendum absq; dubio est, esse novum Regem
 creatum, mutatumq; esse Regem: sic igitur in viventis interitu catenus
 nova forma acquiritur, quatenus qua prius erat tanquam conditio mate-
 riæ substans formæ nobiliori, nunc incipit esse forma, & compositum con-
 stituere & imperare. Ita mutantur plantæ in plantas, bruta in alia
 bruta. Triticum abit in lolium, hordeum in ægilopem, rapum in
 raphanum, zea in triticum, triticum in zeam. In Scotiâ triticum in
 siliginem citò degenerare, Lansius tradit *Omt. contra Britanniam.*
 Et Manlius scribit *Loc. Comm. Germ. tit. de Geniis: Deprehensum est
 triticum Wisebergæ satum tertio anno degenerasse in secale, secale autem
 satum in solo Thuringico tertio anno mutatum in triticum.* Ex crucis na-
 scuntur chrysalides, ex his papiliones, muscæ ac alia alata animalia,
 ex his iterum erucæ, jucundissimo Naturæ circulo, DN. Sperlingius
 querit**

quærit *Disp. in Exerc. VI. Scaligeri sect. 2. lib. 6. Unde sericum, quo corpora ostentant potius, quam vestiunt olim feminae, hodie etiam viri? Ex bombyce. unde Bombyx? ex erucâ. unde eruca? ex verme. unde vermis? ex ovis. unde ova? ex papilione. unde papilio? ex Bombyce. Hic ille modus. Hic iste circulus. Et Aristoteles scribit l. 5. Hist. animal. c. 19. Nascitur bombyx è vermè sui generis, qui cornua habet, inde ex illo eruca, post bombyx, inde necydalus spacio semestri. Ubi cum priori specie deperditâ nova in eodem subjecto pronascitur, specifica Forma esse incipit, quæ subordinata erat antè alteri.*

§. 2. Forma Accidentaria est, quæ sine naturæ lege ad tempus inest aliquibus corporibus. Dicitur Accidentaria non ratione sui, sic enim omnis Forma Substantia est, sed ratione alterius, corporis nempe, cui per accidens inhæret, ideoq; & adesse & abesse potest, absq; essentiæ & integritatis ejus læsione. Has spectamus in nutrimentis & medicamentis cum primis. Hæc n. quia corpora integra sunt, suas item Formas secum habent. Hinc hyanthropia, cynanthropia, galeanthropia, arctanthropia, ornthanthropia. Non per conversionem substantialem, sed per accidentalem immutationem. Puer à cervâ educatus cervos pernitate pedum per saltus ac juga montium secutus est. Alius lacte caprino nutritus salacitatem capellæ imbibit, immoderatè saltavit, dumosâ de rupe pependit, plantasq; arrosit & arbores decorticavit. Puella quædam Vratislaviensis sumto contra Epilepsiam felino sanguine felis naturâ induit ex intervallo, & quòd id animal in ædibus solet, id illa imitata est voce, saltu, gestu, vestigiis, cum mures in silentio venaretur, in angustiis etiam quibuscunq; poterat foraminibus, recensente Weinrichio *L. De ortu monstr. C. 15.* Canes bibito bestiarum sanguine ferociores evadunt, nec minùs Carnifices hausto humano. Nec ignobile Hippocratis Experimentum de infante purgando per lac capræ herbis purgantibus nutritæ à nutrice assumptum. Hinc etiam vermes, lumbrici & ipsi serpentes in nostris stabulantur corporibus, seminibus illorum cum cibo ac potu assumptis. *Sunt enim hujuscemodi vermium & lumbricorum minima, quæ cum alimentis assumpta vim concoctricem subterfugerunt,* disputante sic Joh. Chrysof. Magneno, *Democrit. Revivisc. Disp. 2. c. 4. p. 293.* Pertinent item
huc

huc illorum Exempla, qui à certis ciborum generibus abstinere se, quibus alii tamen & libentissimè & utilissimè vescuntur: quorum aliqua collegi in Collegio meo Physico De *Consensu & Dissensu Corporum Naturalium Disput. X. §. 7.* Nempè cum sanguine & lacte spirituofo, item cum cibis aliis Formæ istæ assumuntur in ventriculum nostrum, ac in aliis etiam membris potentias ac vires suas obtinent. Ita è parietibus, muris ac saxis herbæ arboresq; crescunt, cum ab avibus nuclei aut semina earum eò deportantur, aut volantibus excidunt. Ita integræ silvæ ignotissimarum arborum alibi enatæ, seminibus eò per pluvias aut diluvia translatis. Ita in piscinis puris lucii aut ranæ nascuntur, seminibus per ventos aut aves silvestres ac fluviatiles eò transportatis.

§. 3. Specifica sola Domina ac Princeps reliquarum est, cui *Encomia* Formarum potissima unicè propria. Hæc Regina est, cæteræ Ministrae; hæc imperat, cæteræ imperantur: hæc propria est, cæteræ communes: hæc Formæ solius munia exsequitur, cæteræ materiæ ingenium referunt. Hæc actus verus & ultimus est, quia actuat materiam, eamque determinat ad recipiendam certam speciem. Hæc verè *ἔδος*, species est, quia non modò est speciosum materiæ ornamentum, sed & ipsum specificat compositum, idq; in determinatâ specie constituit. Hæc dat esse rei, nempè specificum: dat distingui, nempè specificum: dat operari, nempè specificum ac proprium. Per eam enim res in esse suo constituitur, & per eandem ab omnibus aliis rebus distinguitur. Adeoq; perfectissima omnium & nobilissima Forma est. Talis in Homine est Anima rationalis, in cæteris Corporibus nomine peculiari caret.

POSITIO III.

Formæ nunc latent, nunc patent,

Expositio.

§. 1. Non ubiq; operationes suas Formæ manifestant, sed & interdum suspendunt. Alius enim actus earum *Entitativus* est, alio *Formalis*. Ille Substantiam Formarum notat & entitatem nudam:

hic officium & influxum. Ille semper adest, hic abest aliquando. Rectè Dn. D. Scharfius *Phys. General. l. 1. c. 3. p. 110.* Hac duo nempe *Substantia Formarum & Officium earum* probè distinguenda sunt. Differunt enim ceu absolutum & respectivum, ceu *Substantia & ejus actus* unde etiam sepè fit, ut à *Substantiis Formarum* separetur illud officium *actuandi & formandi*, ut quidem forma maneat secundum esse suum absolutum, in quantum est *Substantia*, non tamen ibi exerceat munus suum *formandi & actuandi*, adeoq; quasi suspendatur ejus officium.

§. 2. Exempla Natura ubiq; suppeditat. Muscæ hieme conglomeratæ post tabulas semimortuæ delitescunt, vere calore Solis tepfactæ quasi reviviscunt. Pisces multi pro mortuis habentur, ac aquæ restituti & movere se & natare incipiunt. Hirundines non omnes à nobis sub brumam abeunt, sed multæ remanent. Et Georgius Major super I. Corinth. xv. refert, se ipsum observasse in hoc oppido Wittenbergâ, & in mediâ hieme reperisse in nidis hirundines mortuas. Ovum animam pulli continere diu potest, granum item tritici aut hordei suam, antequam in actum illa prorumpat. Ubi Scaligeri hæc notanda *Exerc. VI. 9.* Si anima, inquiunt, esset in tritici puta semine, quod annum aut amplius servetur; qui fieri posset ut efficiens causa sit ociosa? Respondeo: falsam esse hypothesein. Ociosum est, quod cum debet aut potest agere, non agit. At illo tempore seminis illius anima nihil aliud habet agere, quam vivificare materiam illam, quod & facit. Fabricare autem non potest, quia extra matricem suam est, quippe extra terræ sinum. Sic arboris anima nihil edificat hieme. Opus enim habet adjumento.

§. 3. Huc Ecstatici pertinent, quibus anima quidem non deest, actiones tamen animæ naturales, vitales ac animales desunt. Memorabilis narratio Cardani est l. 8. de rer. variet. c. 43. Narratur de quodam Presbytero Restituto nomine, qui quoties volebat, jacebat ut mortuus absq; anhelitu, nec solum vellicantes, sed & pungentes non sentiebat, & admoto igne amburebatur absq; dolore. Admirum & incredibile multis videri posset, qui hoc apud Turcas frequens esse ignorant. Multò verò minus, si quippiam tale apud nos esse docuerimus. Quatuor enim mihi indita sunt à natura, quæ nunquam aperire volui, & omnia (meo iudicio) admiratione digna. Quorum primum hoc est, quod quoties volo,

extus

extra sensum quasi in ecstasi transeo &c. Nectacendi, qui pro mortuis elati sapè & sepulti, cum tales nō essent, uti de Seoto notum. Schenkius meminit foetus in partu mortui, & semihorulae spacio vino malvatico refocillati l. 4. *Obs.* 169. Idem laqueo strangulatos & aqua suffocatos revixisse testis est l. 2. *Obs.* 17. & 18. item l. 4. *obs.* 288. & 289. In quibus anima sine dubio adhuc fuit quoad substantiam & actum entitativum, (secus resuscitatio mortuorum contigisset) non tamen quoad operationes & actum formalem.

POSITIO IV.

Interitus Formarum non est unius ejusdemque generis.

Expositio.

§. 1. Ut Ortus Formarum controversus est, quod sequens docebit Exercitatio, sic & Interitus. Pythagoræ tribuunt, quod docuerit, Formas è suis domiciliis egressas pristinam deserere materiam, novamq; querere & actuare, ut una numero forma nunc hujus, nunc illius corporis informet materiam. Sed Metempsychosis aut Metamorphosis ista tota à nobis rejicitur. Alia forma, alia materia. Non informat forma hominis materiam porci, nec migrat anima de corpore in corpus: sed inter actum & potentiam danda semper proportio. Num verò intelligentissimo Pythagoræ (de quo sic Ovidius L. XV. *Met.* v. 63. seqq.

Mente Deos adiit, & quæ natura negabat

Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit:

Cumq; animo & vigili perspexerat omnia curas,

In medium discenda dabat, cætumq; silentium

Diæq; mirantum, magni primordia mundi,

Et rerum causas, & quid natura, docebat,

Quid Deus, unde nives, quæ fulminis esset origo,

Juppiter an venti, discussâ nube tonarent,

Quid quateret terras, quæ sidera legem earent.)

in mentem unquam hæc sententia venerit, subdubiamus haut parum. Practicam Philosophiam excolebat præprimis Samius ille,

It,

le, ac ita Ethicam morum similitudinem intendebat, non Physicam corporum aut animarum.

§. 2. Peripatetici dicunt, abire Formas omnes, solâ animâ rationali exceptâ, in Privationem, ex quâ venerunt. Terminum n. à quo Generationis esse terminum ad quem Corruptionis, & terminum à quo Corruptionis esse terminum ad quem Generationis. Sed falsum est, Formas è Privatione venisse. Id quod discussum in Disputatione nuperâ. Falsum item eas in Privationem redire. Privatio enim ipsis non tantum formæ absentiam, sed & potentiam proximam ad formam dicit. Positâ autem hâc, inevitabili necessitate juxta illos actus ipse sequitur. Nam potentia proxima habetur pro actu. Sic ergo Formæ cum abeunt, redeunt, & cum esse desinunt, esse incipiunt.

§. 3. Nos distinguimus inter Corpora Incorruptibilia & Corruptibilia. Illorum Formæ manent, quâ diu mundus manet, interituræ ac annihilandæ ad interitum totius Universi, cum in nihilum redigentur omnia, quæ venerunt ex nihilo. Horum Formæ aliæ Imateriales, aliæ Materiales sunt. Posteriores dictæ sic nõ ratione essentiæ suæ, sed existentiæ. Ut enim materia ratione essentiæ informis est, sic & forma ratione essentiæ immaterialis est. Nec caveri aliàs aut vitari posset dimensionum penetratio, si forma ratione essentiæ materialis penetraret aliam materiam. Benè Scaliger *Exerc. CCCVII. 12. Cum formam dixeris, intelliges immaterialitatem, simplicitatem, potestatem, perfectionem, informationem.* Imateriales, hoc est, animæ humanæ, superstites manent Corporibus sublatis, ac æternis fruuntur suppliciis aut deliciis, quod de fide certum est. Materiales verò, hoc est, animæ brutorum, plantarum, mineralium, in interitu corporum intereunt & ipsæ, ita ut in nihilum resolvantur, cum nec in substantiam, nec in accidens ullum abeant. Quod Piccolomineus ipse fatetur *l. 2. de pr. Mat. c. 15. p. 975.* cum ait: *Forma partim fit ex nihilo, quatenus nihil ejus antecedit, & per interitum in nihilum sui transit. Aliæ tamen aliis citius tardiusve expirant.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

Nov. 2000 ^{8d.}





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



B. P.

SYNOPTICI

LEM PHYSICÆ
QUINTA,

rmā.

WITTENBERGENSI,

A. C. 1713 CL.

antpublicæ

ES

MARIUS,

HICI ADJUNCTUS,

DENS

US Vratislaviensis.

Horis Matut.

LIS Wende.

Handwritten signature

